
PETRI POTOCII AD INVICTISSIMVM POTENTISSIMVMQVE PRINCIPEM VLADISLAVM SIGISMVNDVM POLONIAE ET SVECIAE REGEM ORATIO GRATVLATORIA.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXIII.

PETRI POTOCII AD VLADISLAVM SIGISMVNDVM POLONIAE ET SVECIAE REGEM

ORATIO GRATVLATORIA.

SI quando Sarmatia nostra, ob datum sibi à Deo immortali Regem, pium, fortem, iustum, & sapientem, meritò lætabatur; tum hoc tempore potissimùm gaudere & lætari summoperè debet: quo te nimirum, VLADISLAE SIGISMVNDE, REX INVICTISSIME, dextro Numinum fauore moderatorem sortita est, omnibus ita Heroicis virtutibus præditum, vt non modò immortalia antecessorum tuorum facta ad-

adæques, verùm etiam longiſſimè antecellas. Poſt magnos etenim illos Reges, VLADISLAI atque SIGISMVNDI nomine inſignitos, quartus tu in numero Regum noſtrorum, & VLADISLAVS ſimul & SIGISMVNDVS numeraris: qui vtriuſque nominis ſignificationem re ipſâ præſtans, & mundi dominatorem ſeu apicem, & armorum gloriâ potentem, gloriæque te immortalis cupidum claris facinoribus monſtras. Omiſſis ſiquidem VLADISLAIS illis, qui Principes Poloniæ tantùm, non Reges coronati fuêre, primus erat VLADISLAVS diademate reuinctus ille, qui in corpore exiguo magnum animum gerens, LOCTICVS, id eſt cubitalis, à ſtaturâ breui; Magnus verò Sarmatarum bellator, à rebus ſtrenuè & feliciter geſtis, in Hiſtoriis noſtris appellatur. Alter fuit VLADISLAVS IAGELLO; qui ex Magno Duce Lituaniæ, Rex Poloniæ creatus, præter res domi foriſque præclarè geſtas, ob eximiam in conuertendâ ad CHRISTVM Lituaniâ atque Samogitiâ ſollicitudinem & zelum, gentis ſuæ Apoſtolus nuncupatus eſt. Tertius verò eius filius, VLADISLAVS IA-

GEL-

GELLONIDES; qui non modò ſceptri ac nominis, ſed & virtutum paternarum heres, ob egregiam fortitudinem Hunnico quoque Imperio potitus, æneum ſeſe murum Crucis CHRISTI hoſtibus opponens, Sarmaticam gloriam auxit, vnà cum ſanguine ſpiritu in acie Varnenſi effuſo. E SIGISMVNDIS verò, primus ob diuinam quamdam in adminiſtrando Regno ſapientiam DIVVS ab obitu appellatus. Alter ob ingentem rerum prudenter geſtarum cumulum, AVGVSTVS à ciuibus ſuis acclamatus. Tertius denique Pater tuus, præter gubernatam feliciter pace bellóque Rempublicam noſtram, ob ſingularem in Deum Diuóſque pietatem ac religionem, meritò PII cognomen conſecutus eſt. Ab his tu Principibus, REX SERENISSIME, & nomina & ſanguinem deriuatum habens, ſic te hactenus geſſiſti, vt & LOCTICI in rebus arduis aggrediendis magnanimitatem, & IAGELLONIS ſenioris in religione propagandâ ardorem, & eius filij in contemptu periculorum eximiam fortitudinem, & SIGISMVNDI Primi in gubernando

 Re-

Regno admirabilem ſapientiam, & AVGVSTI AVI TVI in tuendâ Maieſtate ſplendorem, & DIVI PATRIS TVI in rebus gerendis felicitatem, egregiámque pietatem in DEVM, nondum coronis ornatus, ciuibus tuis luculenter declarueris. Cúmque nunc ſceptris paternis admotus, ſingularia quotidie virtutum Regiarum exempla tradas, iuſtitiæ, prudentiæ, moderationis, liberalitatis, fortitudinis, clementiæ; facilè omnibus perſuades, quid in poſterum abs te ciues tui exſpectare debeamus. Vt igitur ingentis lætitiæ noſtræ, quam meritò ex tuâ inauguratione concepimus, ad alios quoque remotiùs à nobis poſitos ſigna deueniant; & vt iterùm ſtrenuos illos fortéſque VLADISLAOS, & ſapientiæ gloriâ pietatéque magnos SIGISMVNDOS in te reuixiſſe, omnes agnóſcant; enitar, cum bonâ TVÆ MAIESTATIS veniâ, de tuis virtutibus, REX SERENISSIME, paullò vberiùs diſſerere: quamuis eas nemo non dico exæquare verbis, ſed ne cogitatione inueſtigare valeat; earúmque famâ & fructu plenus iam ſit orbis Sarmaticus, plenus orbis terrarum.

Virtutis

Virtutis itaque cuiuſuis eminentioris, REX SERENISSIME, ea eſt dignitas, eáque pulchritudo, vt cultores ſuos non ſolùm in hac mortali vitâ verè beatos, verè felices, atque illuſtres efficiat; ſed poſt funera etiam nominis perpetuitate, ac optimæ famæ immortalitate donet, eámque ad omnem poſteritatem maximâ cum gloriâ tranſmittat. Vnde quoque illi, qui altiori in dignitate Regióque in ſolio poſiti ſunt, ſingulari eius amore & pulchritudine ducti, non modò vtilitates quaſuis & voluptatum illecebras contemnunt; ſed mortis ipſius periculis ſpretis, quæque etiam ardua, quæque difficilia, fortiſſimo animo aggrediuntur: Réſque publicas ſibi commiſſas prudentiſſimè adminiſtrant; cùm rectè factorum gloriam non ſecum mori, ſed ita memoriæ mandari vident, vt tum maximè diuturnioris illam vitæ initium ſumere, affirmare poſſimus. Tales profectò cùm plures alij Heroes in mundo fuêre, tum maiores tui, REX SERENISSIME, in Septemtrione, anteceſſoréſque glorioſiſſimi Reges Poloniæ omnes; quorum tu exemplis innixus,

xus, in iuuenili adhuc ætate ea didiciſti, quæ tibi ad Regnum, atque immortalitatem, viam ampliſſimam pararent. Et Alexander herclè Seuerus Imperator ita à pueritiâ bonis artibus, tam ciuilibus quàm militaribus, dicitur fuiſſe inſtitutus, vt ne diem quidem vnum tranſire ſine litteris aut militari diſciplinâ ſineret, matre ſuâ Mammæâ procurante, quæ ei nobiliſſimos quoſque præceptores adhibuit. Tu econtrà, matre virilis prudentiæ feminâ, imò AVSTRIACÆ DOMVI innatâ ſapientiâ præditâ Heroinâ, in pueritiâ orbatus, à Diuo patre tuo SIGISMVNDO Rege, omnium Septemtrionalium ſapientiſſimo, ſollicitâ curâ educatus, præceptis imperandi inſtitutus, exempliſque rerum ab eo geſtarum firmatus, non modò mitiores artes & ſcientias, pro Regiâ tuâ indole, ſub optimis præceptoribus imbibiſti; ſed militaribus quoque diſciplinis, inter bellicoſos tuos Sarmatas, facillimè aſſueſti: oſtendiſtíque, omnibus curſum ætatis non eſſe exſpectandum in feſtinatione virtutis. Et quidem rectè: vt enim mentis, ſiue ingenij, & corporis

ris

ris munia in homine inuicem copulantur; ita arma quæ ad corpus, & litteræ quæ ad ingenium referuntur, in Principe coniungi debent. qui armis profectò vim à ſuis repellere, vlciſci iniurias, inimicos profligare, ſocios amicóſque defendere, tueri fines, propagare Imperium ſolet: litterarum verò præſidio inſtructus, leges ſubditis tradere, iura præſcribere, mores corrigere, ciuiúmque animos quocumque lubet impellere atque incitare poteſt. In his autem omnibus, cùm præcipuè canâ prudentiâ ſit opus, tum idcircò eam rectiſſimè imperantium virtutem propriam eſſe Philoſophi dixerunt: quòd videlicet, præ aliis mortalibus, eâ inſtructi, quid petendum fugiendúmve ſit, optimè cognoſcere valeant; & quibus viis, tum ipſi eò peruenire, tum ſubditos ſuos eódem perducere commodiſſimè poſſint; nihílque temerè atque inconſideratè in Republicâ agere, ſed vnoquoque in negotio, quid rerum varietas & neceſſitas, tum pacis tum belli tempore, poſtulet, per ſe diiudicare. Hinc tu VLADISLAE, Optime Maximéque Princeps,

ceps, quamuis longo vſu ſub patre tuo ſapientiſſimo Rege didiceris, tot res, támque varias, mente concipere, ratione diſponere, diligentiâ obire, ſapientiâ gubernare: non contentus tamen domeſticâ diſciplinâ & tractatione negotiorum, voluiſti externæ etiam prudentiæ modum & momenta inueſtigare; atque eam ob cauſſam, nobiliſſimas Europæ gentes, ſcientiſſimóſque bellicæ rei populos auidè perluſtrare. Nec vano mehercle peregrinationis ſcopo. Recreat enim attollítque generoſum animum, quotidiana illa conſpecta nouitas, morum, hominum, locorum; & ad ſimilia domi efficienda, recordatis ſpeciebus rerum, validiſſimè impellit. Sempérque hoc egregiis Heroibus tum ad gloriam magnificum, tum ad benè viuendum ſalutare, tum ad gerendum Imperium conducibile viſum, luſtrandis diuerſis Prouinciis, & in multorum Regum notitiam beneuolentiámque venire, & plurimarum rerum vſu Vlyſſeam quamdam, hoc eſt viuam, parare ſapientiam. Inter reliquos autem æſtimatæ prudentiæ Principes, Aurelianum,

relianum, Veſpaſianum, Titum, Traianum, atque maximè Adrianum Imperatorem, Spartianus auctor eſt, peregrinationibus impenſiſſimè delectari ſolitum; adeò, vt quidquid in libris legiſſet, id oculis coràm intueri concupiſceret. Marcum quoque Tullium, eloquentiæ Latinæ parentem, peregrinationibus deditum, Athenis cùm eſſet, non tam operibus magnificis, exquiſitíſque antiquorum artibus delectatum fuiſſe aiunt, quàm recordatione ſummorum virorum, vbi quiſque habitare, vbi ſedere, vbi diſputare ſit ſolitus. Sic tu, VLADISLAE REX, cùm externas gentes Prouinciáſque peragrares, non magnificas nobilium ædes, non ſuperba Dynaſtarum palatia, nec marmorum ingentes ſubſtructiones mirabaris; ſed loca ſummorum olim virorum habitatione illuſtrata, rebus fortiter geſtis clara, bellicíſque tumultibus infamata: diligentérque percunctabaris de locis ad præſcripta Geometrica extructis, de vrbibus optimè munitis, de arcibus inexpugnabilibus, de Ducibus bellorum, de armamentariis Regum, de ſtrenuis militibus, de

 viris

viris eruditis, eorúmque ſcriptis, & factis præclaris; quò inde tibi maiorem rerum cognitionem, regnandíque ſcientiam abſolutiſſimam comparare poſſis. Quòd ſi verè itaque Sophocles ſcripſit, Megiſtanas ſapientum congreſſu prudentes euadere; te, VLADISLAE REX SERENISSIME, omnium prudentiſſimum cenſemus eſſe: cui nimirum contigit cum tot Principibus congredi, cum tot colloqui eruditis, cum tot Magnatibus conuiuere: tot gentium, ciuitatum, familiarum, linguas, cultus, ingenia, mores, inſtituta, ſpectare: atque vnà tuam vniuerſis monſtrare virtutem, indolem, ac fortitudinem illam Sarmaticam, quam in iuuene adhuc extimuit Moſcus, perſenſit Othomanus, expertus eſt ſuo malo Getes, ſuo damno Sudermanus. Itaque tanti per Germaniam, Belgium, atque Italiam vniuerſam concurſus hominum excitabantur, cùm ad Portæ Aureæ apertionem religioſus Romam ires, tantæ ex oppidis effuſiones, tantæ conſalutationes, vt nihil aliud videre eſſet, niſi ſingulis diebus recentes ciuitatum occurſus, nouas

uas Principum legationes, aſſiduas Optimatum pompas, Præſulum & populi fauſtas vbique apprecationes. Idque eâ vniuerſorum, quaqua inceſſeras, in te obſeruantiâ, ac eo amore, vt vehementiſſimum, ſupra quàm dici poſſit, tui deſiderium omnibus illis nationibus & populis reliqueris. Quare, cùm te in patriam recepiſti, omnes Sarmatæ tui in te oculos conuerterunt. In te enim non modò priſcorum illorum VLADISLAORVM & SIGISMVNDORVM, huius eiuſdem Reipublicæ, vti iam diximus, olim glorioſiſſimorum Regum, imaginem impreſſam intueri videbantur: ſed ſibi in animum inducebant, te non modò maiores tuos omnes, & DIVVM patrem tuum æquaturum, ſed longo etiam interuallo vniuerſos Regni Poloniæ Reges ſuperaturum; vbi primùm contingeret te ad ea Regni ſceptra & coronas accedere, quas illi magnâ cum prudentiâ & felicitate geſſerunt, & quas tibi ob virtutem fatis deſtinatas cuncti præuiderunt. Quid enim aliud ab illâ tuâ adoleſcentiâ religioſè, innocenter ſanctéque ac ſapienter exactâ exſpectari poterat?

terat? Quid ab virili ætate istâ? cui naturâ insitum atque innatum videmus, præclara semper ac magnifica animo concipere, ardua ac excelsa moliri, & in maximis rebus, primis ab annis ad hæc vsque tempora versari; omniáque sic ad laudem ac dignitatem referre, vt & apud tuos Polonos, & apud quasuis exteras nationes, summæ virtutis admirationem obtineres, dignúsque habereris cui sceptra paterna crederentur: hæcque ipsa Sarmatia, patria tua, fortissimorum ac sapientissimorum hominum feracissima, quæ te genuit, quæ te aluit, te sibi Regem videret ac moderatorem; gauderétque se miseris his temporibus, & in hac ferè totius Europæ calamitate, eum sibi filium genuisse, sub cuius Imperio ac præsidio ab omni esset periculo quàm tutissima. Nam cùm duo sint, REX SERENISSIME, quæ claros Principes ac Imperatores faciant, summa virtus, summáque felicitas: in te vtrumque abundè Poloni tui experti sumus; qui inuictum animi tui robur, orbi pænè vniuerso, monstrare cupiens, adolescentulus ferè Mosci glaciem ac

ac hiemes fregisti, cælúmque illud sæuum, asperum, immite, cum virtute incolarum, exarmasti; & quæ aliis ob siderum & locorum inclementiam videbantur inaccessibilia, tuâ fortitudine & constantiâ superasti, penetrasti, expugnasti: ingentémque illum Smolenscensis ditionis tractum Seueriensem, atque Czerniehouiensem Prouinciam vniuersam, superbo illi Moscorum Tyranno eripuisti. Pari deinde animi magnitudine, & Turcarum etiam potentiam, & Scytharum ferocitatem bello Valachico excepisti; vt illâ victoriâ tuâ Chotimensi, quam omnes annales, omnes posteri loquentur, non Polonia solùm seruitute sit liberata, sed omnibus Christianis populis securitas restituta. Quæcumque enim natio barbarorum robore, ferociâ, aut numero grauis vmquam nobis, ac Europæis omnibus fuit, quasi fato aliquo ad supplicium condemnata tuæ felicitati tum succubuit; innumeræque simul Mahometanorum gentes ad bellum illud coactæ, tuâ virtute castigatæ, timendum esse Polonum inposterum didicerunt. Vt autem

tem æui maturus, Patre tuo iam ſenio fatiſcente, ea comprobares, quæ illo adhuc florente adoleſcentulus fortiter geſſeras; declararéſque te haud diſſimilem eſſe tui, ſed ſemper paratum pro patriâ próque Catholicâ religione quæuis pericula ſubire: ideò in Pruſſiam quoque ab eo in commilitium aſſumptus, ne aut virtus quiete langueſceret, aut parum dignus Regno fuiſſe videreris, qui omnino futurus eſſes Sarmatiæ Imperator, quaſi priuatus ſub imperio inter ciues tuos verſabaris; non alio ſanè maior, niſi quòd virtute inſtructior, laboris tolerantior, atque rerum militarium peritior. Et quamuis conditione ſupra leges & parendi præſcripta eſſes, attamen paruit in te ſemper cupiditas rationi, voluntas legibus, maieſtas ſuaſionibus monentium: & actionum ſplendore, morum nobilitate, modeſtiâ, ac humanitate omnibus antecelluiſti: omniúmque tibi ciuium amorem, tuâ comitate, tuâ virtute, ita comparaſti, vt nemo tam magna de te animo conceperit, quin tu multò maiora præſtiteris. Nec iniuriâ profectò: decet enim

magnos animos & ſublimem fortunam lenitas; nec cadere poteſt, niſi in eos qui ingenui ſanguinis & ſtirpis ſunt: procul ab eâ viles homines aut barbari, qui plerumque ſæuire conſueuerunt, vbi licentia adeſt; aut ſuperbire, vbi fortunæ fauor. Cùm itaque omnes homines deceat ſe ſubmittere, & ab arrogantiâ fugere, ſcopulo virtutum; tum maximè Principem, qui in alto eſt, & cauſſas plures ſiue occaſiones ſuperbiæ atque faſtus habet. A quo tu, REX SERENISSIME, longè poſitus, nec auſterus vmquam aut tetricus, aut difficilis tumidúſve, ſed hilaris ſemper, comis, facilis, modeſtus, & omnibus benignus, ſic iuſtitiæ ſtudio, quæ mater omnium virtutum eſt, aſſiduè flagrabas, vt omnium bonarum actionum norma ac regula tuis Polonis eſſes. In negotiis ſiquidem ſuis, ad tuum patrocinium recurrentes, tuum exſpectantes iudicium, cunctos eodem iuſtitiæ lumine æquè ſpectabas, pari libræ lance omnium actiones & merita pendebas, gnarus fundamentum perpetuæ commendationis & famæ iuſtitiam eſſe; ſine quâ nihil

poteſt eſſe laudabile. Quapropter tuas eximias dotes, tuum vitæ tenorem conſiderantes, facilè coniectabant omnes, te olim Sarmatiæ tuæ gubernacula moderaturum, te ſolium paternum & coronas virtute aſſecuturum: felicémque ac beatam Poloniam futuram, cùm tu illi Rex præfueris. Quid iſte tuus Diuinus & Maieſtate plenus adſpectus? quid vultus & facies Regia? nónne omnes, qui intuebantur, ad quæque maxima de te ſperanda incitare videbatur? Si Oratores externorum Principum, Diuo patre tuo conſpecto, ſæpiſſimè obmuteſcebant, cùm proloquendum eſſet; quid tuam Heroicam faciem barbari populi non extimeſcent, cùm iam in throno Patris reſidentem conſpicient; cui tu non tantùm formâ, ſed & virtutibus perquàm ſimillimus exſiſtis? Vt ſileam interim iſtos humeros & decentiſſimam proceritatem; iſta latera, viréſque quibuſuis obeundis muneribus pares; ac totam corporis formam, ex amabili quadam venuſtate pariter ac maieſtate temperatam: quaſíque geminos vultus, Martis atque Apollinis, in

vnâ

vnâ facie ſic repræſentantem, vt neque gratia minuat reuerentiam, neque dignitas officia gratiæ. Iſtiuſmodi figuram Achilli affinxit Homerus, Aeneæ Virgilius: talem Scipioni Africano tribuunt Hiſtoriæ: quam ſic auguſtam eſſe voluerunt, vt eo nihil fuerit amabilius; ſic rurſus amabilem, vt nihil auguſtius. Titum quoque Imperatorem, & formâ excellenti præditum, & virtutibus Heroicis ornatum, & occultâ quadam gratiâ cælitus donatum, ita omnibus venerabilem pariter atque amabilem fuiſſe prædicant, vt Orbis amor ab omnibus eſſet appellatus. Sed hoc elogium in neminem veriùs quadrat, quàm in te, REX SERENISSIME, qui commune es omnium Septemtrionalium populorum gaudium, vnicæ ſæculi tui deliciæ, fatalis Principum Chriſtianorum amor. Quis enim te vidit vmquam, qui non illicò amare cœperit? imò quem non vel auditum modò VLADISLAI nomen in tui cupiditatem accendit? Quis vel eorum qui populares auras, epulis, muneribus, congiariis, ſportulâ venabantur, tam gratioſus fuit vni multitu-

 dini,

dini, quàm tu tam multis nationibus, tam innumeris Europæ gentibus, maximè autem tuæ Sarmatiæ incolis? Non efficaciùs magnes chalybem attrahit, quàm tu mortalium omnium mentes in tui amorem rapis: nec tam facilè vicina flamma ad naphtham transuolat, quàm facilè tu, VLADISLAE REX, in omnium ciuium tuorum pectora descendis. Nullúmque vmquam memoriâ hominum Principem exstitisse credo, quem sua patria dilexerit aut sinceriùs, aut ardentiùs: quíque inuicem suos impensiùs amarit. Et quidem iure: singulorum siquidem in te beneuolentiam amore compensas, liberalitate rependis, beneficentiâ retribuis: tuáque, REX SERENISSIME, moderatio, clementia, comitas, benignitas, pietas, adeò omnem dominatus inuidiam excludit, vt nullus vmquam in priuatâ vitâ tantam apud omnes gratiam fauorémque obtinuerit, quantum tu in Regno amplissimo obtines. Obtines autem meritissimò; quia nullo commodiùs philtro amor acquiritur & retinetur, quàm ipso amore, apud liberam præsertim

gentem:

gentem: bonúmque Principem decet sua omnia posteriora habere, patriæ commoda prima & maxima ducere; & vt ea opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit, quàm diligentissimè curare. Nam *Rex eligitur,* inquit Socrates, *non vt sese molliter curet; sed vt per ipsum, ij qui elegerunt, benè beateq; agant.* Hinc Principis munera sapientes esse putant, pudicitiam non constanter modò seruare, sed etiam in aliis vindicare: grauitate citra Regium supercilium vti; adeuntes ac supplices, non solùm comiter excipere, sed confirmare, atque ad meliorem spem reuocare: iustitiam admirabili condire clementiâ: disceptationes dexteritate incomparabili sedare: populorum & ciuium saluti ac securitati consulere; bonísque artibus Regna instruere: efferatos animos emollire: benè educatis ingeniis fauere: litteratos vndecumque accersere, eósque omni munificentiâ honestare. Quod enim animus est corpori, quod Sol orbi terrarum, hoc est populo suo bonus Princeps: nam *omnium somnos,* vt inquit Seneca, *illius vigilantia defendit, omnium otium illius*

C 3 *labor,*

labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Cùm te igitur, SERENISSIME REX, ſubditi tui videremus ſanctitate, religione, conſilio, prudentiâ, humanitate, fortitudine, iiſque omnibus virtutibus ornatum, quibus optimum Principem præditum eſſe oportet; nemini mirum videri debet, quòd te, quem certa ſiderum decreta ſceptro Poloniæ & ſolio deſtinauerant, ab obitu SIGISMVNDI patris tui, optimi atque ſanctiſſimi Principis, vnanimi conſenſu, liberis ſuffragiis, in Regem noſtrum elegerimus; téque libertatis noſtræ vindicem, atque legum tutorem nuncupauerimus. Vnde nemo quoque tam ſtupidus vel inuidus reperiri poteſt, qui abs te non omnia bona ſperet; déque te ſibi, REX VLADISLAE, omnia ſumma non polliceatur, ſi modò aut genus tuum, vnde originem ducis, aut Patrem tuum, quem in omnibus imitaris, aut denique te ipſum, qui omnibus Regiis virtutibus abundas, ſibi propoſuerit. Nam quoad genus diuinámque originem tuam: etſi pulchrum duxiſti, REX SERENISSIME, tot tibi tanto-

tantorúmque Regum è tuâ proſapiâ virtutes, veluti faces accenſas, præluxiſſe; tamen non alienis veſtigiis nixus, ſed tuopte ingenio tuíſque virtutibus creuiſti, tuis meritis, tuis laboribus, viam tibi aperuiſti ad iſtud faſtigium, ad quod nunc es euectus; cùm minùs decorum eſſe putares, ſolis maiorum laudibus cenſeri, & illuſtribus auorum monumentis vmbratilem gloriam venari. Præſtant etenim & pluris æſtimantur, quæ in te ipſo ſunt, quàm quæ circa te exteriùs verſantur: quia hæc propria & ingenita ſunt, illa externa & aliena habentur. Quantum verò ad Patrem tuum, inuictum illum atque indomitum Heroem, quem imitandum tibi propoſuiſti; nihil penitus in ipſo deſideratum eſt, quod in optimo eſſe deberet Rege, ſiue ſcientiam rei militaris, ſiue virtutem, ſiue maieſtatem, ſiue felicitatem ſpectare voluerimus: ſufficítque vno verbo dixiſſe, vnum illum ſæculo hoc noſtro diuinitus exſtitiſſe, in quo virtutes ſimul omnes vigerent, quæ ſingulæ in omnibus prædicantur. Quantum denique ad te ipſum, REX SERENISSIME,

NISSIME, talem te ab incunabulis vſque præſtitiſti, taléque Magni ac heroici animi ſpecimen dediſti, vt in tractandis Reipublicæ negotiis SAPIENTISSIMI ac PRVDENTISSIMI REGIS nomen, non ciuium tuorum modò, ſed omnium vicinorum populorum conſenſu promerueris: bellicis verò in rebus cum omnibus omnium ætatum eximiis Ducibus, ac Imperatoribus, facilè conferri poſſis. Siquidem te iampridem, vt & Patrem tuum, barbari formidare didicerunt: & vt in eius ſarcophago titulis addita cognomina, DACICI, SCYTHICI, MOSCOVITICI, OTTHOMANICI, leguntur: ſic tu ſub eius auſpiciis arma gerens, tantum orbi oſtendis vniuerſo triumphorum, quantum tota Sarmatia habet hoſtium aut maleuolorum. Quis enim te, VLADISLAE PRINCEPS MAGNANIME, vel bello, vel pace clarior? quem res aduerſæ magis exercuêre? quis proſperis & ſecundis minùs intumuit? quis in vtrâque fortunâ conſtantior fuit? quis tam eximiis dotibus ditatus, vt ſolus poſſit Rempublicam in his fluctibus Interregni conſilio iuuare, auctoritate

tate

tate munire, prudentiâ fouere, dignitate augere? Nemo ſanè præter te, REX SERENISSIME, qui ab ineunte ætate, vti diximus, in vniuerſo vitæ curſu, tanti Imperij faſtigio te dignum præſtitiſti: & non bellicis modò, ſed pacis quoque artibus, quæ ſemper & vbique ſunt vſui, excelluiſti; atque ciuium tuorum amorem iis tibi conciliaſti. Tuâ etenim ope recreatam videmus Poloniam, tuâ virtute defenſam Lituaniam, tuis armis barbarorum ereptam iniuriæ Ruſſiam, tuis conſiliis ſedatam diſſidentium de Religione opinionem & diſcordiam, tuâ auctoritate repreſſam licentioſorum hominum audaciam, erectam in ſpem Pruſſiam, reſtitutam denique omnibus Sarmatici Imperij Prouinciis ſecuritatem & pacem. O fortunatam itaque te Rege Poloniam noſtram! ô verè aureum hoc noſtrum ſæculum, quo te auſpice, te auctore, te moderatore, pietas, fides, ſimplicitas, pudor, breuiter, omnis illa incorruptæ quondam ætatis virtutum ſeges repullulaſcit, reuiuiſcit, effloreſcit! O nos térque quatérque felices! quibus Diuino mu-

D nere

nere talis datus eſt Princeps, talis Rex, qualem ex omni mortalium numero ne votis quidem optare potuiſſemus meliorem: tam fortunatus, vt bello nuſquam ſuccubuerit: tam potens, vt nulli vicinorum non ſit formidandus: tam mitis, vt nulli non ſit amabilis: tam comis, vt cuiuis ciuium pateat aditus: tam benignus, vt neminem à ſuo ſermone triſtem diſcedere patiatur: tam munificus, vt omnes benè de patriâ meriti præmia ab ipſo referant: tam incorruptus, vt eum ſibi amicum mali ſperare non queant: tam beneficus, vt optimus quiſque probatus illi charúſque ſit: tam iuſtus, vt ad regimen & diſciplinam ſine legibus vllis eius vnius vita ſufficiat: ſic denique omnibus fortunæ, corporis, animi bonis, vndiquaque cumulatus, vt Numini quàm homini propior eſſe videatur. Atque hæ ſunt dotes illæ tuæ, VLADISLAE REX SERENISSIME, quæ te Superis charum reddunt. Hæ virtutes Regiæ, quæ tibi tam inauditum fortunæ fauorem, quæ tibi Principes Chriſtianos, quæ nationes populóſque confines, quæ mortales

les vniuerſos conciliant. Quapropter gratulamur huic tantæ tuæ felicitati; gratulamur Reipublicæ noſtræ, cui tu, talis ac tantus Rex, Diuinâ prouidentiâ datus es, vt illam his tuis virtutibus facilè tutam ſecurámque præſtiturus ſis. Gratulamur quoque nobis ipſis, hoc eſt, afflictæ patriæ noſtræ; ac præcipuè Podoliæ, Pocutiæ, Vkrainæ, totiúſque Ruſſiæ Prouinciis, quas tu, VLADISLAE REX SERENISSIME, pænè ab interitu ad vitam reuocaſti, viribus firmaſti, auctoritate muniuiſti. Et vt anteà ab Oſmani Turcarum Tyranni impreſſione, ſic nunc à Tartarorum incurſu, & Coſacorum tumultuosâ licentiâ defendiſti. Ex quo in poſterum etiam animis præſentire iuuat, quantarum te rerum gloria maneat, quantis augendus ſis titulis, quos olim ex impiis Mahometanis relaturus triumphos, quæ fixurus ex immani illâ barbarie ſpolia, quàm latè Sarmatici Imperij fines prolaturus, quàm felicibus momentis publicum ſæculi tui ſtatum in melius commutaturus. Atque hoc omine Reſpublica vniuerſa commota, hoc Prouinciæ

 ſigil-

ſigillatim, tanto ac tam immortali beneficio deuinctæ, eumdem te Dominum & Regem habere decreuerunt, quem habebant aſſertorem & vindicem ſuæ libertatis. Tibíque omne obſequium, omnem venerationem, omnem ſubmiſſionem Poloni tui pollicemur, & debemus; ſumúſque parati etiam vitam ipſam & ſanguinem, vbi opus ſit, pro incolumitate & dignitate tam SACRÆ MAIESTATIS TVÆ, quàm totius Reipublicæ noſtræ, profundere: quandoquidem *ipsâ naturali lege, non minùs patriæ naſcimur, quàm parentibus*, vt inquit Vlpianus. Ceterùm Deum felicitatis omnis auctorem, Diuóſque Poloniæ Tutelares, comprecamur, ne quid hæc promptitudo noſtra, vel tuo capiti, REX SERENISSIME, vel patriæ noſtræ conciliet inuidiæ: ſed quæcumque ſunt euentura, ea non nobis ſolùm, ſed & hoſtibus noſtris, quoad fieri poteſt, fauſta feliciáque faciat; hoc eſt, vt victorias tuas omnes, etiam de barbaris, quàm minimè cruentas velit eſſe. Vtque in iſto paterno ſolio ſedens, annos omnium, qui ante te regnarunt, VLADISLAORVM SIGISMVN-

MVNDORVMQVE procul excedas; quò videlicet Sarmatæ tui, felicitatem agnoſcentes tuam, tuti vndique ſub tanto Rege, & omni beatitate affluentes, diutinâ ſecuritate perfruamur.

DIXI.

APPROBATIO.

Hæc Illuſtmi atque Excelmi Domini Petri Potocij, Palatinidis Braſlauienſis, ad Sereniſſimum & Potentiſſimum Principem VLADISLAVM SIGISMVNDVM *Poloniæ & Sueciæ Regem Oratio Gratulatoria, typis diuulgari, atque ab omnibus legi meretur.*

Gaſpar Eſtrix Plebanus
Antuerpienſis & Librorum Cenſor.



Hist. Polon

b, opea